Brevia

Clementis Papae XI.

Teol. ~~[illegible]~~ 4033

Breve apostolicum pro immunitatibus Ecclesiae

s. a. d. 1712. 28 Julii.

BREVE APOSTOLICUM
Sanctiſſimi Domini Noſtri
CLEMENTIS XI.
Pro Immunitatibus Eccleſiæ S. Anno Domini 1711.
Die 28. Julij emanatum, ab aculeis malevolorum defenſum.



POrtenta rerum! Polonia illa Antemurale Chriſtianitatis per Summa Oracula appellata: Illa Polonia, quæ nulla unquam Schiſmatum aut Hæreſum parturijt monſtra: Illa Polonia, in cuius Libri Capite ſcriptum eſt: Rex Catholicus eſto. Polonia Sum̃orum Pontificum ſumma Veneratrix, Cleri ſui non ſolùm in Senatu, in Tribunalibus, in Eccleſijs, ſed in quibuſcunq; Conſilijs exemplariſſima Obſervatrix, Diæceſum, Collegiatarum, Abbatiarum, Parochiarum, ampliſſima Fundatrix: Redituum, Ornatuum Eccleſiaſticorum tam ex ſpolijs hoſtium, quám ex Fortunis proprijs liberaliſſima Auctrix. Illa Polonia, jam hodie prôh dolor! hoſtiũ Chriſtianitatis & monſtrorũ fidei receptatrix, jam hodie Eccleſiæ ſanctæ & Cleri ſui tyrannica perſecutrix, Bonorum Deo ſolenniſſimè dicatorum infenſiſſima ſpoliatrix & deſolatrix; & tandem, acſi iam in profundũ veniſſet, Summorum Pontificum eorumq; monitorum formaliſſima contemptrix! Exiit nuper ex altiſſima in terris ſpecula Vigilantiſſimi & Sanctiſſimi Eccleſiæ univerſalis Paſtoris & Vicarij Chriſti, breve Monitorium & Paterna adhortatio, ne ſtatus ſecularis tã enormiter & deſpoticè dominetur in Clerum, nevè illi Pedagia, Gabellas, vectigalia, vel aliqua tributa, prout & Divinis & Eccleſiaſticis & propriis domeſticis legibus ſub pæna excommunicationis ipſo facto incurrendæ ſtatutum eſt, imponere audeat, prout in nuperno Conſilio magno Varſavienſi, & graviùs expreſſiusq; in Inſtructario Theſauri Regni facta & impoſita ſunt: tum ut à tantis preſſuris Bonorum Deo ſanctificatorũ tandem Status ſecularis & militaris abſtineat, aliàs excommunicationem, á qua nemo abſolvere poſſit præter ipſum Summum Pontificem, niſi in articulo mortis, & ſalvâ reſtitutione, ipſo facto incurrat. Quis putâſſet illam quondam devotiſſimam & ſanctiſſimis Legibus moribuſq; imbutam Gentem, tam ſalutaribus Clementisſimi Patris ſui monitis non obtemperaturam? Et ecce prôh dolor! ſalutare Pharmacum in toxicum verſum! & ecce ſtomachantes & nauſeabundi Hæreticis guſtibus imbuti ſtomachi, non tantùm tam ſalubre remedium non acceptârunt, verùm maiore Febri, maiori ardore, maiore ſiti ultimi ſangvinis pauperũ hominum eccleſiæ ſubiectorum exarſerunt. Sed quò ruis veſane hęretico ſpiritu imbute furor! Ais Summum Pontificem nil habere Dominij vel Juriſdictionis in ſtatum Politicum, in Regna & Reſpublicas, in ijs præſertim, quæ ſunt ſecularia. O deplorandam dementiam! Quis docuit inſipiens Regna & Reſpublicas aliquando ſeculariſare, aliquando ſpiritualiſare; aliquando temporalia, aliquando æterna cogitare? Ergo dùm genua flectis, & cum humili peccatorum tuorum Confesſione pro abſolutione recurris, interrogandus es, temporalisne an ſpiritualis accedas, temporaliane an ſpirituala peccata habeas, ſubſiſne an non Iuriſdictioni! O glorioſiſſima quondam germina Aquilarum, nunc genimina viperarum! quis vos docuit fugere á ventura ira? Quis docuit, ſi Communionem admittis, excommunicari à

proximi & offensam Optimi Dei in ſe continent, ad illa vincula, quibus conceſſum eſt ligare & ſolvere, ſpectare cogantur] Quis quæſo Perſonas Spirituales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Capitula, Monaſteria, ſeculariſavit in Polonia? Quis illos Iuriſdictioni ſeculari ſubjecit, ut in illos per ſeculares onera ſtatui posſint? Quis Bona Deo ſanctificata in liberam prædam & rapinam militi Polono concesſit? Quis in tantis in Cælum clamantibus injurijs ad Summum in terris, Vicarium Chriſti, Caput recurſum facere interdixit? Quis Fidem & Eccleſiam Chriſti aliam fecit in Polonia, quàm ante Annos trecentos vel ducentos? O quisquis Lechæa de ſtirpe natus, tam perverſo Hæreticis his temporibus teneris ſenſu, Lechicū retrò te confer in ævum, antiquos evolve Duces, lege Cromerum, Długosſium, Joannem de Łaſko. Vide & palpa, quid ſtatuerit Vladislaus Princeps Anno Dñi. 1228. Quid Boleslaus Pudicus Anno 1252. item idem Anno 1258. Quid Caſimirus Magnus Anno Dñi 1337. & 1354. Quid Vladislaus Jagello Anno 1413. & 1433. Quid Filius ejus Caſimir⁹ in Añ. 1438. Quid deniq; veſtigijs Patris & Avi inhærens Joannes Albertus Anno 1496. Quòdſi verò & Hiſtorias & Statuta tot pijsſimorum Regum ad manum non habeas, lege ſolum Compendium omnium Statutorum & Legum Polonarum per ſeriem Alphabeti in ordinem redactarū per ſecularem Senatorem Polonum, Caſtellanum Sanocenſem Joannem Herburtum, ibi ſub vocabulo *Spirituales*, Tit: de interdictis & excommunicationibus, pro injuriis Eccleſiæ reperies, quòd non ſolùm Summus Pontifex, ſed quilibet in ſua Diæceſi Epiſcopus, pro injurijs ſibi illatis, ſi intra tres dies non reſarciatur damnum, excommunicare posſit. Ibi ſimul, quid ſit damnum, quid rapina, quid offenſa Spiritualium, intelliges, & Civilibus & Canonicis Legibus circumſcriptum; leges obiectiones & ſolutiones, leges hanc ipſam in Exercitu toto ad Iniuriatorem deventionem. *Quia enim in turba vel Exercitu non facilè poteſt ſciri privata Perſona, quæ committit rapinam; undè ne per hoc impunè ſpoliarentur Bona Eccleſiæ, illud ſtatutum fecit proviſionem, & voluit puniri illum, qui eſt Principalis in Exercitu, & qui habet poteſtatem ducendi & locandi Exercitum, ubi vult, &c. quia dat occaſionem damni, faciendo ſtationem in Bonis Eccleſiæ &c.* Quæ omnia fuſiùs adhuc extant in ipſo Fonte, in Statutis ijſdem Regni antiquo Typo impresſis apud Joannem de Łaſko fol. 70. Sed dices, hæc ſunt tantùm Privilegia Regum, quibus ſicut licuit tanta conferre Privilegia ſtatui Eccleſiaſtico, ſic licet ea auferre. O fallaciam! ô dementiam inenarrabilem! Tranſeat, quòd ſint Privilegia Regum. [ſed id aliter ſe habere mox probabo] Et tuæ Libertatis fundamenta, nonne ſunt Privilegia Regum? cur tamen illa mordicitùs defendis? cur nec in minimo lædi permittis? cur Detroniſationes minaris, ſi in minimo lædantur? Ergo ne tibi vis intaminata relinqui iura, & Eccleſiæ ſanctæ contaminari? Sed falleris valdè, quòd ſint Privilegia Regum prout Regum, ſed Privilegia Regum in Fide S. educatorum & Fidei S. ſubiectorum. Privilegia non antè valida, quam à Summis Pontificibus approbata. Cuius veritatis tot exempla habentur in Bullis Summorum Pontificum. Bonifacius IX. approbavit Friderici & Caroli Imperatorum Privilegia & immunitates ſtatui Eccleſiaſtico datas, Anno Domini 1391. quæ iam olim approbaverat Honorius III. Anno Domini 1220. Quarum Bullarum extant Exempla in Statutis Regni antiquis, per Joannem Łaſko Cancellarium connotatis. Gregorius etiam XIII. Anno 1570. 29. xbris. ad Stephanum Poloniæ Regem ſcripſit approbando Synodum, & laudando Regem, quòd ab Archiepiſcopo & Clero univerſo laudes eius acceperit. Privilegia in Jure Divino, Eccleſiaſtico & Civili, antequam Polonia Deum & Fidem noſſet, fundata. Lege ius Divinum Levitici c. 5. Anima ſi prævaricans ceremonias per errorem in his, quæ Deo ſunt ſanctificata, peccaverit, offeret pro delicto ſuo arietem immaculatum de gregibus, qui emi poteſt duobus ſiclis iuxta pond⁹ Sanctuarij, ipſumq; quod intulit damni, reſtituet, quintā par[illegible]
[illegible] ſacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietē, & dimittet[illegible]

quod comedit, & dabit Sacerdoti in Sanctuarium. O quant[illegible] Miles Polonus de ſanctificatis Domino, non per ignorantiam, ſed ſcienter & volenter quotidie vorans reddere tenetur, etiamſi quinta pars ei condonaretur! Artaxerxes Rex Perſarum licèt Ethnicus, devictâ & in poteſtatem redactâ Judæâ, Legem tamen Domini ſervare voluit, nam tale Miniſtris ſuis mandatum dedit, ut teſtatur Sacra Litera l. 1mo. Eſdræ c. 7mo. Vobis quoq; notum facimus de univerſis Sacerdotibus & Levitis & Cantoribus & Janitoribus & Miniſtris Domûs Dei, ut vectigal, & tributum & annonas, non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos. Et hodie licèt Chriſtiani & Catholici, tam graviter & enormiter audent prævaricari Legem Divinam, & quod gravius eſt, nec monitiones ferre volunt. Lege Jus Canonicum & Eccleſiaſticum. Quodſi verò Volumina illius non habeas, nec mihi, ſi citare vellem, credere velis. Quodſi Conciliorum, & maximè Lateranenſis ſub Alexandro Tertio, Clementinæ, & aliorū Summorū Pontificum deciſiones, quas hìc allegare prolixum eſſet, non habeas, lege ſolum Concilium Tridentinum Seſſione 22. c. 11. Ubi ſic expreſsè decernit. Si quis alicujus Eccleſiæ vel piorū locorum fructus ſeu quaſcunq; obventiones, quæ in Miniſtrorum & Pauperum neceſſitates converti debent, per ſe, per alios, vi vel timore incuſſo quocunq; quæſito colore uſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab ijs, ad quos verè pertinet, percipiantur, is Anathemati tamdiu ſubiaceat, quamdiu bona, res, fructus, reditus, quos occupaverit, Eccleſiæ eius Adminiſtratori non reſtituerit integrè, ac deindè à Rom. Pontifice abſolutionem obtinuerit. Si itaq; Chriſtianus es, ſi intra obedientiam & reverentiam Sanctæ Eccleſiæ contineris, cur te peregrinum fingis, & Summum Pontificem pro gravibus Eccleſiæ illatis iniurijs, anathemati te ſubijcere non poſſe aſſeris, cùm pridem te eidem ipſa Bulla Cænæ Domini expreſsè ſubjecerit? Conſidera & perpende communi omnium populorum conſenſu & judicio acceptatum & obſervatum Jus Gentium & Nationum. Nonne apud omnes Gentes & Nationes majorem reſpectum & obſervantiam habent Bona ſpiritualia, ſeu potiùs acſi ſpiritualia, quàm nunc in Polonia? Graviori longè & fame & rerum penuriâ premebatur Ægyptus, adeo ut omnia Ægyptiorum Bona pro ſuſtentanda vita, & arcenda fame, debuerint Regi venundari, & ſervituti addici; ſola tamen Sacerdotum quamvis falſorum Deorum Bona erant libera, quinimo illis alimenta à Rege providebantur. Apud Romanos omnes Flamines Arioli, omneſq; Sacrificuli, quomodo cum ſuis bonis ab omnib⁹ publicis Tributis & oneribus erant liberi, videre eſt in Livio & aliis Romanis Hiſtoricis. De Turcis ipſis ac Tartaris certam ex illis, qui illic in captivitate erant, habem⁹ notitiam, quòd non tantùm illorum ſuprem⁹ Pſeudoſacrorum Præſes Muphti, ſed & omnes ſacrificuli ſingulari afficiantur honore, & ab omnibus tributis & oneribus non tantùm ſint liberi, ſed etiam Villa illa, in qua aliquis cenſus pro Fanis ſeu Meczetis inſcriptus eſt, licet ſit Dominij ſecularis, libera maneat ab omnibus oneribus. Quam ob cauſam & noſtri Latini ſeu Græci ritûs Chriſtiani Turcicis illis fanis aliquid inſcribere ſolent, ut bona illa, in quib⁹ inſcribunt, ab oneribus libera habeant. Hæretici ipſi licèt Bonorum Eccleſiaſticorum immunitati ſint inimiciſſimi, & licet per Doctrinam illorum bona omnia Eccleſijs adempta & profanata ſint, tamen Prædicantes ſuos cum uxoribus & liberis & ditant, & ab omni communi onere liberos fovent. Sola Polonia, ſeu veriùs ſolus Polonus miles adeò acuit dentes in panem Chriſti, ut non ſapidior illi videatur, quám in Bonis ſpiritualium, quem jam ſangvine ipſo & lachrymis pauperum hominum totaliter imbutum, vorare tamen non deſiſtit. Et ita hoc liberum ſibi eſſe aſſerit, ut nec moneri, nec arceri, nec ob pertinaciam & contumaciam excommunicari debeat. Pro defenſione verò ſuorum illicitorum actuum, allegat Statutum Sigiſmundi I. Regis piiſſimi & zeloſiſſimi, ſub cuius Regimine Anno 1520. in Conventu Generali Bydgoſtiæ, laudata eſt Contributio Generalis, tam à ſpiritualibus quàm ſecularibus [illegible] exigendas, & hoc ſtatuto probat, ſtatuere poſſe Re-

ges & Respublicas Tributa in Clerum absq; omni consensu Summi Pontificis & Cleri. Sed fallitur valde, & Hæretico more Scripturâ hanc Civilem legere & allegare videtur, dùm nec Historiam illius temporis revolvit, nec de consensu Ecclesiæ in volumine legum Ecclesiasticarum inquirit: quod si faceret, informaretur & edoceretur luculentissimè, quòd illo ipso Anno celebrata fuerit Synodus Petricoviæ præsidente Mathia Drzevicio Archiepiscopo, in qua consensum est super ipso subsidio charitativo: quod tamen ad effectum deduci non potuit, nisi post duas iterũ sub eodem Archiepiscopo Lenciciæ celebratas Synodos Anno scilicet 1522 & Anno 1527. Tandem Petricoviæ, Anno 1530. in Synodo tertia hæc contributio decisa & ordinata, & à Summo Pontifice Clemente VII. approbata, Exactoresq; assignati, prout expressè patet in Constitutionibus Synodalibus. Quod & superioribus annis, actum esse expressè patet in Voluminibus legum Anno scilicet Domini 1369. 4ta Junij. [Cùm exortæ fuerint lites inter statum spiritualem & secularem Diæcesis Cracoviensis, simul Cracoviæ Rex Casimirus Magnus celebravit Comitia, & Bodźanta Episcopus Cracoviensis Synodum. Fuit etiam præsens, visitans protunc Diæcesim Cracoviensem, Iaroslaus Boguria Achiepiscopus Gnesnensis; & sic lis illa magis per Synodum, quàm per Comitia sopita est, ut testatur Joannes de Łasko Cancellar. Regni fol: 55. Et certum est, quotiescunq; illis antè inundationem Hæresis sanctioribus temporibus petitum est aliquod subsidium ab Ecclesiasticis, celebrabatur statim Synodus, & ad Sedem Apostolicam pro approbatione recurrebatur: ut testantur utrarumq; Legum Volumina.

Sed piscem adhuc obijcis, qui carnem Ecclesiasticam voras, Statui Ecclesiastico, & ais: Christus Domin⁹ Matt. 17. cùm venisset Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit Didrachma? ait etiã: Et cũ intrasset domũ, prævenit eum Iesus dicens: quid tibi videtur Simon? Reges Terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à Filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: ab alienis. Dixit illi Iesus: ergo liberi sunt Filii; ut autem non scandalisemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit tolle, & aperto ore eius invenies staterem; illum sumens da eis pro me & te. Et infers inde: quodsi Christus & Petrus solverunt tributum, seu commune illud didrachma, cur Ecclesiastici ad præsens solvere non debeant? O quàm rude & Evangelij sancti ignarum illud seculum quo tantæ immunitates & libertates dabantur, Ecclesijs & Ecclesiasticis, ut hunc textum ignoraverit! Modo verò Lutheri & Calvini temporibus, quàm illuminatũ, ut & ipso Evangelio uti possit ad opprimendam & spoliandam S. Dei Ecclesiam! Sed reflectas te velim benè, super verba omnia & circumstantias allegati textûs, & considera primo, quòd Capharnaum fuerit Civitas acsi domestica Iesu Christi, quam & suam vocat, ut ait idem S. Matt. c. 9. Ascendens in Naviculam transfretavit, & venit in Civitatem suam; adeoq; quòd in illa civitate non pro Sacerdote secundùm ordinem Melchisedech, sed pro Incola & Filio Iosephi habitus fuerit. Considera 2do. quòd nihilominus non impositivè, non extorsive, non vi & violenter postulatum fuerit illud Didrachma, sed interrogatus solummodò Petrus, an solvat Magister. Considera 3tio. quod decisum fuerit à Petro & confirmatum á Christo, à Filijs non debere pendi tributum [ô quam verò magis à Patribus!] sed tantùm ut non scandalisati fuissent Pharisæi, qui quærebant semper occasionem capiendi Dominum in sermone, dictum Petro: vade &c. Considera 4to quòd licèt dictum esset, ut non scandalisemus eos, non tamen ex proprio peculio, non ex pecunia sanctificata Deo, & oblata à pijs hominibus, cujus curam habebat Dispensator Iscariotes, acceptum esse aliquid pro illo vectigali: non ex censu pauperum hominum, Christo aut ejus servis subiectorum: sed ex publico mari. Et tandem quod summum est, & omnibus inimicis Ecclesiæ cõsideratu dignum, considera, quòd licet Christus Dominus nondùm fuerit declaratus & agnitus Summus

præsentientes magis esse spiritualem quàm secularem personam Christum: non despoticè illi quidquam imponebant, non executiones mittebant, sed civilissimè interrogabant Petrum: Magister vester non solvit didrachma? Id est, solvitne an non, teneturne solvere an non? Et Christus quæstionem præveniendo, & personam suam non clarificando dicit Petro: ut non scandalisemus &c. Urges adhuc objectiones, & ipsum S. Paulum ad Rom. 13. scribentem objicis Matri tuæ Ecclesiæ, & ais cum S. Paulo, quòd omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim Potestas nisi á Deo. Et ex hac universali propositione infers, ut & animæ spiritualium tuæ potestati militari subditæ sint. Verùm quantùm erras, recollige te & palpa, sublimiorem esse Potestatem spiritualem, cui & Claves Regni cælorum, & potestas ligandi & solvendi in terris tradita est. Lege eundem S. Paulum ad Hebreos c. 13. scribentem & adhortantem: Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio faciant hoc, & non gementes; hoc enim non expedit vobis. Quod autem ad Romanos seculares de seculari potestate scribit, utinam saperes & intelligeres! utinam sublimiori potestati subditus esses! profectò te oneribus non subduceres, quæ antiquitùs libenter & reverenter ferebas; & ea Regibus, tum & Patribus tuis non imponeres: certè in Conventibus & Consessibus Generalibus non desudares in tuis tuorumq; amicorum Bonis liberandis, & spiritualium opprimendis. O quàm pulchrum & salubre esset, si potestati & Ecclesiasticæ, cui animam tuam subdidisti, & Regali Principis tui subditus esses! certè hoc Sanctissimum Breve Apostolicum non ita ventilares & blasphemares, certè non quæreres, an Sanctissimus Pontifex excommunicare possit illos, qui statui Ecclesiastico violentias inferunt, qui eundem despoticis tributorũ impositionib⁹ aggravant, & quod gravi⁹ adhuc est, absq; ulla saltem impositione, violentis rapinis, spolijs, invasionibus, pabulationib⁹, & multo nomine vocitatarum collectarum extorsionibus premunt ac opprimunt; certè non assereres, Sublimiorem Christi & Vicarij ejus in terris potestatem, nihil habere juris in tuam injuriosam statui Ecclesiastico potestatem. Quare siquid adhuc rationis & sensus interni in te est, intra in temetipsũ, & quodsi te nihil ea horum, quæ palpabiliter allegata sunt, movent; quodsi nec Divina & Ecclesiastica, nec Civilia & domestica, nec ipsa Jura Gentium quid valeant; quodsi illa forma antiqua, quâ veteres pijssimi Reges & Regnicolæ inscribebant Bona sua Deo & ejus Ecclesijs, [Offero & reddo Deo hoc quod in charta est scriptum, in remissionem peccatorum Parentum & filiorum meorum, ut hoc sustentati Sacerdotes, Domino Deo serviant, Sacrificia Missæ celebrent, orationes absolvant. Si quis sibi hoc usurpare, & ab Ecclesia alienare vellet, in Judicio Dei respondebit, ut sacrilegus. Quam formam expresse videre est in Baronio Aňo Domini 843. & in Vitis Episcoporum Vladislaviensium] non perstringit cor? quodsi nec illa consideratio timorem incutit, quòd grave sit sacrilegium, de pijs oblatis ex Altari aliquid rapere, vel calicem sacrum, in quo pretiosissimus Sangvis Christi consecratur, profanare; & quòd non sit minus sacrilegium de granarijs, horreis, allodijs, longè majora rerum pretia usurpare & extorquere: [nam æqualiter hæc oblata & sanctificata sunt Dõino, & sunt pretium Sangvinis ejus; quem si quis dispergit, jure dicere potest cum Judæis crucifixoribus, Sangvis eius sit super nos & super Filios nostros in condemnationem æternam.] Quodsi universale Theologicum & Fidei Sanctæ axioma, non remittendum peccatum, nisi restituatur ablatum; quodsi excommunicatio ipsa risui est, & blasphemiæ adhuc obstrepant voces, non impedituram excommunicationem ad benè edendum & bibendum. Quodsi nec ultimum, terribile absq; dubio, vitæ punctum, nec ipsa ab illo pendens æternitas moveat: moveat saltem politica & evidens reflexio, quinimò demonstratio, nullam domum, nullam personam, de rapinis Ecclesiæ diù exultasse, nec tertium Hæredem illis unquam gavisum esse. Moveant præterita cum præsentibus collata tempora.

O quam felix fuit hoc Regnum, quamdiu intaminata Ecclesiæ jura relinquebat,
quamdiu proprijs viribus & sumptibus, non Ecclesiasticis bellabat: quamdiu pro in-
jurijs Ecclesiæ illatis puniebat & excommunicabat injuriatores, quinimó sacris inter-
dicebat locis illis, in quibus injuriæ patratæ erant! O quantùm protunc timorem
& æstimationem sui vicinis incutiebat Gentibus, quantum fines & limites suos dila-
tabat, quantis laudib9 & encomijs à Sede Apostolica & à vicinis Monarchis celebraba-
tur! Nunc verò quàm primùm post infelicem Hæreseos admissionem, post primam
ex occasione Nobilis Krupka Przecławski excommunicationis interpretationem,
& vilipensionem, villæ Spiritualium numerari: quàm primùm in Conventibus ge-
neralibus, clamores & vociferationes contra Ecclesiastica bona invalescere, quàm
primùm bona hæc Deo dicata in rapinam & prædam licentioso militi cedere cępe-
runt: recolligat se, quisquis prudens, quid honoris, quid emolumenti accesserit?
nonnè tot amissæ terræ, imò Provinciæ? nonnè opprobrium, subsannatio & illusio
facti sumus vicinis nostris? nonnè continua & nunquàm ferè cessans calamitas in-
vasit hoc Regnum? & dicere, imò assecurare audeo, non cessaturam in hoc Regno
calamitatem, non cessaturas dissensiones & opprobia vicinorum, nisi cesset oppres-
sio bonorum Spiritualium, & tributorum ex illis usurpatio. Ergo Patriæ tuæ, ergo
tui ipsius conservationis rationem habeas, si sapis, necessè est. Sed dices, ergo rape-
re non liceat, sed statuere tributa, Reipublicæ, jurium suorum Dominæ, etiam su-
per Ecclesiastica bona, imò & super personas cur non licet? Interroga Patres tuos,
& annuntiabunt tibi, Majores tuos, & dicent tibi: imò totum Canticum Moysis
Deutor: 32. lege, & non interrogabis: aliàs interrogandum esset, cur Altaria & San-
cta Sanctorum spoliare non liceat? cur dies Sabbathi celebrandus? cur Parentes
honorandi? & cur nihil alienum concupiscendum? Siquidem, ut jam sufficienter tibi
deductum est, & Divinis, & humanis, & externis, & domesticis præceptis cau-
tum est, ut bona Spiritualium sint immunia, & libera ab omni onere, & soli sub-
jecta Vicario Christi, Summo Pontifici, nec ullum in illa jus potestati laicali relictum
esse. Rempublicam verò & sui & suorum jurium Dominam esse, nemo quidem
est, qui ambigat; sed jura Ecclesiæ distincta esse á juribus Reipublicæ, & Rem-
publicam Ecclesiæ, non Ecclesiam Reipublicæ subjectam esse, fatendum est.
Cujus infallibilis veritatis ut recentem semper haberet memoriam Posteritas, omni-
um & singulorum Privilegiorum suorum antiqua Respublica talem clausulam ha-
beri voluit: Juribus Ecclesiæ per omnia salvis. Quomodo autem maneret Jus Eccle-
siæ salvum, si Juri Laicali subiectum esset, & si potestati Laicali licitum esset pro libitu suo onera &
tributa illi imponere? Quodsi verò Subsidia charitativa tam intra quàm extra Poloniam semper in
gravibus necessitatibus Regnorũ subministrata fuisse ab Ecclesia asseras: Respondeo, non solùm
pro necessitatibus gravibus Reipublicæ, sed pro privatis etiam pauperum hominum alimentis, non
solùm ex Bonis, sed & ex Altaribus & ex Ærarijs Ecclesiasticis conferenda esse licitè Subsidia chari-
tativa; sed non impositivè, non extorsivè, non per militares executiones, sed per consensum libe-
rum Synodalem, & per approbationẽ (sinè qua non) Summi Pontificis. Quam praxim & obser-
vationem præteritis seculis sacrosanctè servatam esse, Legibus utiq; Patrijs deductum est. Ulti-
mum tandem admoves arietem, & ais, neminem saltem excommunicandum, nisi citatum & moni-
tum, & servatis præscriptis Juris gradibus. Verùm si penitiùs Jura Canonica perpendas, si in no-
torijs & ijs, in quibus ipso facto incurritur Excommunicatio, quæ singulis annis die Cęnæ Domini
in Ecclesijs omnibus publicatur, nullos requiri gradus intellexeris; si ipsa Statuta Regni, tit. *Spiritu-
ales*, ut jam dictum est, exactè & consideratè revolveris, & stylum & sensum mutare cogeris; & à
SS. Domino nostro, nisi resipueris, & à cœptis illicitis destiteris, prout te Paternè monet, ju-
stè fulmine anathematis te percussum esse fateberis. Si verò in indurato corde nihil hæc omnia
proficiant, si & Patriam & animam perire malis, quàm sensum contra Ecclesiam Dei præcon-
ceptum immutare: nullâ in æternis sensibus compassione dignus eris, & ridebit ille in interitu
tuo, cujus vincula disrumpis, cujus vocationi, legibus & præceptis resistis. Vos verò macte
animis Celsissimi Illustrissimi & Reverendissimi Ecclesiæ S. Principes & Proceres! & nisi Isaia-
num Væ! audire velitis, Summi ac Beatissimi Patris vestri vocem audite: Bona Deo sanctifica-
[illegible] ac administrationi vestræ commissa ab omnibus injurijs & pressuris vindicate; con-

